



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

6. Auctoritate omnium hominum rectè sentientium probatur veritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SUBSECTIO VI.

*Auctoritate omnium hominum recte
sentientium probatur veritas.*

115 Magni ponderis argumentum esse videtur sapientissimis viris ad demonstrandum Deum esse deductum ex naturali quodam, communique omnium hominum placito, atque consensu assentientium Deum esse, ut docuit eloquentissimus Philosophus Marcus Tullius, lib. 2. *Tusculanarum quaestionum*, ibi. [Cur Deum esse credamus firmissimum hoc asseri potest, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit diuinitatis opinio.] quod etiam 1. *de legibus*, his verbis affirmat, [nullam de hominibus gentem esse, neque tam immanem, neque tam ferream, quæ licet nesciat, qualem Deum habere deceat, habendum tamen ignoret.] Vnde idem Philosophus de *Auruspicio* respondens, si ait [nulla maior res, atque Deus, cuius ingenuit sine doctrina notitias ingentes natura omnibus hominibus, ut minime mirum fieri debeat eos de Deo sensisse loquutosque esse talia quos Philosophia nunc magnum spatium per orbem non erudiisset, præsto enim erat alia minor quidem Philosophia, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa attripimus, haurimus, & expressimus, ad quæ non docti, sed facti, non instructi, sed imbuti sumus, hæc aperit os omnibus ad confessionem magni Dei,] quibus consonat Damascenus, lib. 1. *fidei*, cap. 10. dicens [nemo est mortalium, cui non naturaliter insitum sit, ut Deum esse perspectum habeat,] vnde Gregorius Magnus, super *capitulum* 36. *Iob* sic ait: [Omnis homo, eo ipso, quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit Deum esse, quem videlicet iam videre est dominationem illius ratiocinando conspiciere,] ita enim interpretes catenæ Græcæ illum locum *Iob*. [Omnes homines vident eum] explicat his verbis: omnis videt Deum in se ipso, id est, cunctis hominibus est insita Dei cognitio, & ideo Cyprianus *tractatu de idolorum varietate*, num. 64. de omni hominum vulgo loquens sic ait: [vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, dici frequenter audimus o Deus, & Deus videt, & Deo commendo.]

116 Cuius euidentissimum argumentum est quod nulla sit tam externa ac remota natio, quæ Deum aliquo nomine non appellet ut quondam Platonici obseruauerunt: Hebræis Dei nomen est quadriliterum *Iehouas*, Græcis *θεός*; Deum Latini appellant, Persæ, Syri, Medi, Orsi, pro Deo vtuntur *Abdi*, Egyptij *Tour*, Arabes *Alba*, Mæometistæ *Abdi*, Itali *Idio*, Galli *Dieu*, Hispani, *Dios*, neque frustra vniuersa Dei nomina, quadrilitera reperiuntur; nam ut Platonici placet his Dei perfectio continetur, quadruplicem enim Dei excellentiam his significari volunt, primam naturæ, secundam esse, tertiam virtutis, quartam operationis, quibus cuncta disponit, qui Deum nomine expresserunt etiam mente non ignorauerunt, propterea nulla gens aut natio vnquam fuit, quæ aliquod diuinitatis lumen sibi illucere non agnouerit, tamen illud iuxta diuersa mentium placita diuersimode animo conceptum habuerint.

117 Nam si ab Oriente in Occidentem, siue à Meridie ad Septentrionem vniuersas orbis plagas perlustremus, siue etiam omnes hominum ætates, ac

longe ante trāsata temporum sæcula reuoluamus, nunquam homines inuenti sunt quin simul cum his perspecta fuerit quædam religionis species, Dei cultus, orationes, sacrificia, in quibus etsi summa varietas, varios etiam religionis vultus præstiterit, in hoc tamen omnium consensus adfuit, Deum aliquem esse. Quinetiam ipsa religionum, ac sectarum multitudo non obscure testatur diuinam hanc alicuius numinis disciplinam, non tam à patribus filiis traditam, vel à populo in populum transfusam, quam vel in ipso naturali lumine ingentam, vel à rerum natura edoctam fuisse, qua quisque & Deum, & colendum didicit, ratione cuius indubitatum esse dixit Plato omnibus dari Deum *Libro primo, de legibus*, his verbis: [quomodo si Deus sit aliquis differat, cum à pueritia id discerimus: dum enim lacte nutrimur à nutricibus ad Deum affirmandum animum induximus, quippe qui à matribus multa de illo ioco, serioque dicta, decantataque in orationibus audiuius naturalis cuiusque speciei instinctus inanis esse non potest, sed hominis species immutabiliter ad Dei religionem fertur; Deum igitur esse omnibus hominibus notum est.] Vnde Tullius *libro primo, de natura Deorum*, qui omnium antiquorum Philosophorum placita illustriora sibi vendicauit, hanc velut communem omnium antiquorum sententiam constantissime pronuntiavit, his verbis: [nulla est tam barbara natio, nulla gens tam effrata, cui non insideat hæc persuasio Deum esse,] atque adeo id à natura notum, ac perspectum esse docet, ut de notitiam anticipationem naturæ appellet, idcirco, quod ad eam hominum mentibus insinuandam nullo doctore, nullis moribus, nulla præterquam naturæ lege opus sit, quam sententiam hæc ratione haud obscure demonstrat; [id non potest ignorari, quod non potest cogitari Deum non esse, at rationalis mens non potest cogitare Deum non esse, non enim potest rem cum opposito eius intelligere, quod iure quidem naturæ excellentia sibi vendicat, quod sane efficere, si Deum non esse intelligeret, cum esse sit naturalissimum Dei, non igitur potest ignorari Deum esse.]

118 Plane post quædam annorum curricula pluri-
mæ gentes Hispanorum industria præclaris faci-
noribus illustrata prioribus sæculis ignota repe-
ta sunt, quæ tum sine lege ac Rege, tum sine
testo viuerent, earum quædam nudo corpore in-
cederent: quædam vero per agros, sparsim fru-
gibus vescerentur, ac sic vitam belluis haud mul-
tum dissimilem transigerent, in his tamen nulla
est in totum, quæ absque aliqua Dei cognitione
inuenta fuerit, nulla quæ absque vlla religionis
specie viueret, ut hinc saltem colligere liceat,
non tam homini naturale esse associari aliis ho-
minibus, aut se ipsorum à temporum iniuriis de-
fendere; imo vitam ipsam, commodumque tueri,
(quæ tamen homini adeo naturalia esse existiman-
tur) quam illi naturale est Deum vitæ auctorem,
parentem rerum omnium, altoremque agnoscere,
ac diuino cultu venerari, quapropter iure quidem
optimo cum Athenienses Pitagoræ illius sophistæ
librum in cuius principio ac fronte: *An Deus sit*,
dubitare videbatur publice combusserunt ipso ab-
vire, atque agro expulso, eo sane præclaro faci-
nore id insinuare voluerunt eum à rerum natura
expellendum esse qui Deum, quem natura agno-
scit, ignoraret; vnde Damascenus in tantum ait,
præualuit perniciofa hominum malitia, ut dicit
Deum non esse secundum illud *Psalmi* 13. dixit
insipiens

Quaest. I. Vtrum demon. possit Deum esse. 161

inspiciens in corde suo, non est deus; quid dicam inspiciens potius in belluam conuersus; ita enim de his pronunciat Danid: homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est immentis insipientibus; & similis factus est illis; nam reuera si sapientes essent; aut saltem ea, qua tanquam homines praediti sunt ratione viderentur, nunquam profecto in tam absurdam sententiae plagam se se induerent, vt Deum nullum esse existimarent: ergo si qui fuere aliquando; aut etiam nunc sunt qui Deum esse non putant, istos tanquam errata quaedam naturae, & quasi monstra humani animi, & ingenij aspernari, & abominari conuenit.]

119 Quod si plus eorum iudicio deferimus, qui sapientiores in populis habiti sunt, quos postea Philosophos appellarunt inter Indos Brachmanes, inter Persas Magi, inter Gallos Druides, inter Medos Gymnosophistas, vtique omnium sapientissimi habiti nunquam nisi à Deorum inuocatione quidquam auspicabantur, praeter etiam illa Aegyptiorum Philosophia, cuius pater ter maximus ille Trismegistus in Pimandro Deum latere patitur, & per vniuersas orbis plagas emicare pulcherrimum rerum ordinem eum nobis manifeste declarare, tum res singulas suis limitibus circumscriptas illum Dominum ac auctorem insinuare, cui soli, ac sidera ad nutum pareant; praeterea Deum solum bonum esse, ac in eo boni naturam reperiri. Aesculapio persuaderi, quid vero praeter illi poëtae de Deo senserint Orpheus nimirum Homerus, Hesiodorus, Pherecides, Pindarus, qui simul & Philosophi extiterunt id potissimum declarat, quod de Ioue Poëtarum more passim cantant, vt videre est in Orpheo Graecorum Theologia Patre, qui totam rerum creationem Deo summo quem Iouem forte ab ineffabili Dei nomine *Iehouas*, quod apud Hebraeos asseruatur desertum appellat, pie admodum desert hoc carmine.

*Qua fuerint exorta, & qua ventura sequantur;
Hac in ventre Iouis rerum compago manebat.
Iupiter ipse est primus, Iupiter vltimus idem;
Iupiter est caput, mediumque & cuncta Iouis sunt;
Iupiter est terra fundamentum calique micantis;
Iupiter idem Rex cunctiorum Principumque.*

120 Atque vt omnitiam Pitagoraeorum, Stoicorum, Academicorum, ac Peripateticorum scholas, quae nihil magis, quam Deum esse docuerunt, Iouemque cunctorum esse Patrem, regem, ac genitorem, creatoremque vt profundissime docuit Mercurius ille celeberrimus, cui nomen Trismegisti plurimarum scientiarum peritia conciliauit: dialogo s. his verbis: [Quis enim singula finxit, nonne haec solus ipse inuisibilis Deus cuncta propria voluntate molitus est? Et cum statum ac imaginem absque fabro, ac pictore fieri nullus asserere audeat, miram Mandi huius constitutionem sine conditore constituisse putabimus?] vnde concludit [O cæcum, o nimis impium, o profundis obrutum ignorantie tenebris, qui sacrosanctum numen negare audes proprioque regno deturbare contendis; caue, caue o fili mi caue ne vnquam artificum priues artifices.] Postremo in eo libro, qui *Hymnodia* dicitur, postquam omnia ad silendum cohortatus est, ait [cano iam creatorem omnium terrarum distributorem, cælum aequilibrantem, iubentem ex Oceano aquam vndique fluere dulcem ad hominum alimentum, iubentem lucem fulgere ad actiones hominum.]

121 Quid amplius ipsimet Epicurei, qui cum in cæ-
I. P. Tom. II.

teris honesta vitæ præceptis tam impudenter, ac inuerecunde se gererent, Deum tamen negare nunquam ausi sunt. Demum antiquorum, vt testantur Plato, & Aristoteles mos fuit ex insignioribus Philosophis sacerdotes eligere quos summo honore prosequerantur, ea ratione vt inquit Dions Augustinus, quod ij non solum ex rerum contemplatione Deum, ac diuina didicissent, verum etiam quæ Deo obsequia præbenda essent longa cœlestium contemplatione scirent præscribere, itaque ex his omnibus liquet omnes homines, omnes nationes, omnes gentes, vniuersum denique orbem, quasi collatis signis, in hanc veritatem manifestandam vnanimi consensu conspirasse. Ex quibus hoc argumentum maximi roboris, ac ponderis deducitur.

122 Quia quod omnes homines sentiunt naturaliter id falsum esse non potest, quia ab auctore naturæ qui errare, & fallere, ac falli non potest ipsis infunditur, & inspiratur, sic enim argumentatur Aristoteles *in libro de diuinatione per somnia*. & in *lib. 7. Ethicorum*, cap. 1. 1. & lib. 10. c. 2. Veraque est illa (quæ profertur ab Augustino *lib. 2. de ciuitate Dei*, & legitur in prima *Tusculana Ciceronis*) sententia, aureumque est, ac germeum apothegma: [consensus omnium gentium verissima vox est natura, & merito quidem] nam si secundum Christum Dominum in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, id est veritas firma, & rata, quanto magis stabit veritatis splendor in communi omnium hominum, vnanimique consensu: verum quippe est quod pluribus locis ab Aristotele traditur, & magno Philosophorum consensu approbatur, quodcumque omnibus indiuiduis alicuius speciei, vel fere omnibus, aut semper, aut plurimum conuenit id esse secundum naturam illius speciei, & illorum indiuiduorum senseri oportet, quod autem paucis indiuiduis inest, & raro accidit id esse præter naturam illorum existimandum est, natura enim vel semper, vel vt plurimum eodem modo operatur: atqui cognitio Dei cunctis fere hominibus, atque omni tempore insita est; ergo ea secundum naturam esse, ac verissima esse iudicari debet, quia si non secundum naturam esset, etiam si multum temporis durauisset, iam vt alia signa euauisset, vt his aureis verbis docet Cicero, *lib. 2. de natura deorum*, ibi [quid enim est Deo euidentius, quem nisi cognitum comprehensumque animis haberemus ab ipsa natura, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum sæculis, ætati-
busque hominum inueterare potuisset, etenim videmus ceteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse.]

123 Explicatur hoc, nam si ab aliquo, qui nunquam vidit Romam, aut Curiam Philippi IV. nunquam perspexit, interrogaremus an solum sit opinio, vel potius euidentis, & certa scientia euidentia quidem morali decorata asserens dari veramque Curiam Pontificis, & Regis, Matritum videlicet & Romam? sine dubio sapientissime quidem ac prudenter extemplo responderet euidentis moraliter esse, ac proinde negari non posse dari Romam, ac Matritum cuius fundamentum non esset aliud, nisi tot hominum fide dignorum vnanimis consensus id asserens: ergo à fortiori euidentis moraliter erit sententia omnium hominum vnanimi consensu asserentium dari Deum, cuius imperio terrarum sola gubernantur.

124 Quid plura? cum vterius progredi mens humana refugiat, vbi aliquid propter has rationes
X instituitur

infinitum contemplatur, liceat his finem imponere, ac in dei optimi Maximi laudem Trinegisti illud usurpare: [Quid te laudabit Pater omnium? supra te, an infrate positum? quo verum oculos, ut te laudem? supra ne, an infra? intus, an extra? num modus? an locus? circa te, num aliud quidquam ex omnibus? in te autem omnia absque omnia præbes omnia, nihil denique suspicis, omnia quidem habes, quod autem non habes, id ipsum nihil; qua potissimum in te laudes cantabo tuas, num in his forte quæ in lucem è tenebris eruiisti, an in his, quæ latent adhuc arcano sinu recondita? ipse profecto es quidquid ego sum, ipse es quidquid agam, ipse es quidquid denique dicam.

SECTIO I.

*Ratione naturali demonstratur
hæc veritas.*

- 125 **Q**uia omne ens, aut est primo productum, & causatum, aut non est productum neque causatum: sed non possunt omnia entia esse primo producta & causata, ab alioque in lucem edita: ergo aliquod ens datur non primo productum, nec causatum, sed à se: atqui ens non causatum, nec productum, sed habens esse à se est Deus: ergo iam datur Deus.
- 126 Maior est evidens, cum inter contradictorie opposita nullum detur medium, secundum illud axioma evidentiissimum: quodlibet vel est, vel non est; & secundum illud: impossibile est simul idem esse, & non esse.
- 127 Minor probatur, quia omne quod est primo factum, & productum, non est factum, & productum à se, sed ab alio secundum illud evidentiissimum axioma, quidquid producit, ab alio producit, cuius veritas in hoc fundatur, quod nihil magis fieri repugnet inter ea, quæ nulla ratione esse possunt quam eandem rem à se produci, ut Hieronymus docuit super epistol. Pauli ad Romanos, cuius verba supra citavimus, & Augustin. primo de Trinitate, cap. i. & alibi affirmat, ut enim se ipsum produceret, deberet præintelligi esse antequam produceretur atque ita esse antequam esset, quod contradictionem involuit: ergo omne, quod est factum, est ab alio factum, de quo latius in tractatu ultimo de principiis metaphysicæ.
- 128 Tunc sic; vel illud aliud est primo factum, vel non, si non est factum, est Deus, si factum: ergo ab alio, ac proinde debet procedi in infinitum: sed processus in infinitum causarum, & effectuum non est concedendus: ergo sistendum est in causa improducta ac deueniendum est ad Deum, Minor in qua est difficultas sic demonstratur, & sumamus totam illam collectionem entium procedentium in infinitum; impossibile est, totam illam collectionem causarum efficientium esse dependentem in suo esse, & operari; ergo necesse est dari in illis aliquid independentis, ac proinde non poterit in illo progressu in infinitum procedi, sed sistendum est necessario in ente improducto, & independente; primum antecedens est evidens ex supradicto principio; omne quod producit ab alio producit, &c. si ergo tota collectio rerum esset dependens, debe-

ret necessario pendere ab alio, id autem est impossibile, quia nec *to aliud*, est intra collectionem, nec extra collectionem; de extra est certum; quia nihil aliud est extra collectionem, quia collectio est omnium entium, seu causarum: ergo includit in se & intra se omne ens; sed ultra omne ens nihil est: ergo nullum est extra collectionem, à quo possit pendere tota collectio.

Nec illud à quo pendeat tota collectio, est intra collectionem, quia si tota collectio penderet ab alio ente intra ipsam comprehenso, illud procederet à se ipso; quia cum illa collectio tota, & adequate pendeat, & secundum omne quod habet ab illo ente, necessario sequitur ut illud ens, quod est aliquid illius collectionis, etiam pendeat ab eo, à quo collectio tota pendet; sed tota collectio pendet ab illo ente: ergo de primo ad ultimum ipsum dependet à se ipso.

Quod autem tota collectio adequate pendeat, sic probatur, quia si omne ens diuisive, aut distributive sumptum est dependens, & factum, necessario etiam collectio omnium est dependens, & facta adequate; siquidem adequate non est aliud, quam omnia entia diuisive, & distributive dependentia; quia cum illa collectio non esset ens per se, sed pluralitas, aut multitudo, nihil potest addere supra omnes partes simul sumptas: ergo si omnes partes illius collectionis dependent, necessario, & euidenter sequitur ut illa collectio pendeat ab eo, à quo omnes partes dependent; non quidem una singulari dependentia, aut actione, sed collectione omnium dependentiarum, quibus omnia entia dependent.

Non enim alia ratione potest esse dependens aliqua collectio entium, nisi quia in ea nullum est ens, quod non pendeat: ergo si tota collectio entium non potest esse dependens, necessario debet in illa collectione esse aliquid omnino independentis, quod sit Deus.

Vergetur, ac declaratur hic discursus amplius, quia ex infinita illa multitudine indiuiduorum nullum omnino est, quod fuerit ex se ipso: sed omnia profus, ac singula fuerunt à causa efficiente, ab ipsis realiter distincta: ergo extra eam multitudinem, seu collectionem est aliqua causa, à qua aliquod saltem acceperit esse. Patet consequentia, nam in generationibus procedentibus in directum non est circulus causalitatis; ita ut generans pendeat à genitis, quorum causa fuit: in tota illa collectione indiuiduorum nullum est à se, aut non productum, quia omnes habent principium suæ generationis intra eandem speciem; alioquin esset circulus dependentiæ, & causalitatis: ergo necessarium est principium aliquod extrinsecum, à quo vnum saltem illius collectionis indiuiduum sit productum; ratione cuius tota collectio dicetur habere esse ab alio, non à se.

Dices non valere argumentum à singulis indiuiduis, vel partibus vnius magnitudinis, aut collectionis infinitæ; nam si mundus, tempus, ac generationes fuissent ab æterno, verum esset dicere ex infinita multitudine dierum nullum finire ex infinita multitudine dierum nullum generalem fuisse ab æterno, nec etiam vllam generationem ex infinita collectione earum quæ præterierunt; eodem modo quamvis nullum omnino indiuiduum ex tota collectione alicuius speciei designari possit quod non fuerit ab alio, non ro- inde necesse est, ut tota collectio fuerit ex alio. Sed hæc responsio, licet apparens sit, & possit fallere,